

PROPOSITIO SEPTIMA

De æquilibrîi subsidio in exploratione sui.

Ut suum *fidei & fidelitati* æquilibrium conservetur, opus est frequenti exploratione nostri, & ad hanc sabbatissimo spirituali crebrius instituendo.

ILLUSTRATIO.

1. Vix ullus unquam existit regenitus, qui statim in fixum & immotum moralis æquilibrîi statum ita emergat, ut nunquam ipsum ulla subeat tentatio ad istorum extremorum alterum: potius unusquisque, qui non ipse domi suæ quasi hospes, ac status sui ignarus ac incuriosus est, hic deprehendet, se modo in hanc, modo in istam partem ita trahi, ut alteri aliquid decedat; in primis antequam in ætate sua spirituali ad consolidatum spiritus robur pervenerit. Cum vero tentatio in utramque partem non solum invitis, sed etiam insciis, seu non attendentibus, obrepere soleat, opus omnino est sollicita & frequentiore nostri *exploratione*.
2. Exploratio autem ut genuina sit, & debito sese fructu commendet, ejusmodi requiritur *sabbatismus*, quo sensuum organa, quantum fieri potest, ab operatione intensiore & diffusiore aliquantum cessant, & mens, ab omni distractione intra se collecta, sibi ipsi curate
atten-